

prima non fiunt ex alijs, quia contraria non fiunt ex se mutuo. Et profertur sermone, probans principia esse contraria, amboque actiua. Sed oportet, inquit, considerare hoc qualiter contingat. Accipiendum est primum, quod omnium, quæ sunt, nullum neque facere aptum est, neque pati contingens à contingenti: neque fit quodlibet ex quolibet, nisi secundum accidens, sicut album ex musico, si accidat nigrum, ex quo fit album, esse musicum. Album igitur fit ex non albo, sed non ex omni non albo, sed ex nigro, aut intermedijs. Neque igitur corrumpitur quodlibet in quodlibet contingens, nisi per accidens id, quod efficitur ex albo, à se corrupto, scilicet nigrum contingat esse musicum. Et in omnibus affert exemplum, quod contrarium agit in verè contrarium sibi directè oppositum, etiam quamuis sit innominatum, & quod à solo patitur contrario. Unde inquit tandem in t. 47. Si ergo hoc verum est, quod omne, quod fit, fiat, & corrumpatur, quod corrumpitur, aut ex contrarijs, aut in contraria, & in horum media, media autem sunt ex contrarijs, ut colores ex albo, & nigro, quare omnia erunt, quæ natura fiunt, aut contraria, aut ex contrarijs. Ecce itaque, quomodo Aristoteles ex eo, quod omnia fiunt per transmutationem, quæ non potest esse nisi inter mutuo actiua contraria, demonstrauit principia esse contraria actiua, sumpto principio ex hoc, quod non quodlibet agit in quodlibet, nisi in contrarium, & non patitur à quolibet, nisi à contrario, igitur principijs Aristoteli competit agere, & pati, (nec enim non ens indagaret ex eius actione, quale dicunt Peripatetici parum considerantes dicta magistri, esse priuationem) & ex eo, quod mutuo se expellunt à subiecto. Nam album (dixit) non fit ex quolibet non albo, sed ex nigro, videlicet ex verè contrario actiuo, & calidum fit ex frigido, id est, quia expulit frigus, non enim calor transmutat siccum vel dulce, aut musicum: nec agit in ipsa, nisi quatenus accidit, hæc esse associata frigori, in quod agit, verè itaque contraria entia actiua posuit Arist. principia. Hæc explicans Simplicius inter eos valde bonus, accepit, ait, Aristoteles generales dignitates: prima: Omne, quod fit, & corrumpitur perse ab efficiente, fiat, & corrumpatur, sed non quoduis à quouis fiat, & corrumpatur, sed oppositum ab opposita efficiente, nam quodcumque non agit in quodcumque, sed oppositum in oppositum, seu calidum in frigidum, transmutat ipsum ab opposito sibi habitu ad oppositum habitum, sicut de subiecto, quod mutatur, non quolibet, sed ex opposito in oppositum, id est in seipsum agens transmutans. Item ait illa mutantur, quæ simul esse nequeunt, quia sunt dissimilia, hæc non sunt sola contraria, sed opposita secundum omnem oppositionem, ut domus fit ex habente Ideam domus ex non habente, & musicus fit à Demone ex immusico, non quolibet, sed habente oppositum musici. Sic ex frigido calidum fit à calore. Quare ex oppositis dispositionibus ab oppositis disponentibus quibuslibet in artificiatu fieri entia docet Simp. & Arist. & ex verè contrarijs in